

TOPICORVM

te, & de illo quod non recipit ab aliquo sensibili per sensitorium dicitur. Quod uero etiam de anima sentire, & non sentire, & de corpore ut habitus, & priuatio opponantur, demonstrauit dicendo animam habere utrunque ditorum sensuum, & illud quod est aptum natum aliquid habere, quando aptum est habere, tunc non habet, ipso priuatum est. Nam ob id & de pariete insensibile non predicatur, quia non est aptum natum sentire, uel si diceretur non uelut priuatum, si ab illo diceretur, sed ut negatiuum. Item erit demonstratum hoc apud ipsum huius, quia rationabiliter usus est exemplo oppositorum secundum priuationem, & habitum, simul autem per hanc adiectionem indicauit per omnes species oppositis, quia quando secundum omnia significata ab altero alterum fuerit oppositum eidem, tunc multipliciter dicitur & ipsum, cum qua adiectione soluit instantiam, que de contrarijs, uel contra priuum locum, uel secundum quod unus alterius est destructiuus, uicissim afferri potest, de qua mentionem fecit. Ceterum cum de oppositis secundum priuationem, & habitum dixerit, minime mentionem fecit de oppositis ad aliquid. Nam perspicuum est in illis eorum ad aliquid diffinitione, quod si alterum ipsorum diceretur multipliciter, & alterum sic dici, quia his que sunt ad aliquid, esse ad aliquid idem est, cum hoc, scilicet se habere aliquo modo ad aliquid, quod circa quia amabile multipliciter, & amicitia totidem, amicitia dicitur ad amicum, uel amatum. Item manifestius est, quia scientia dupliciter, scilicet potentia & actu, sic etiam scibile equaliter dicitur, eadem quoque ratio de sensu. Item si excedens multipliciter. Etenim secundum qualitatem, & secundum aliquam potentiam, uel habitum, uel actum, sic etiam excessum dicitur totidem modis. Item quia mobile multipliciter. Etenim in qualitate, & quantitate, & in loco: sic etiam motus multipliciter. Item habitus, & habentis, & inducti, & habile multipliciter dicitur.

Amplius autem in casibus considerandum, nam si iuste multipliciter dicitur, & iustum multipliciter dicitur, secundum utrumque, n. iustorum esse iustum, ut si iuste dicitur, & secundum sui cognitionem iudicare, & ut oportet similiter et iustum. Eodem autem modo & si salubre multipliciter dicitur, et salubriter multipliciter dicitur, ut si salubre dicitur, hoc quidem sanitatis effectiuum, illud autem conseruatiuum, quoddam uero significatiuum, et salubriter, uel effectiue, uel conseruatiue, uel significatiue dicitur. Similiter autem et in alijs, quando ipsum multipliciter dictum fuerit, et casus ab eo multipliciter dicitur: et si casus, et ipsum.

Casus dicunt communis etiam qualescumque flexiones, & probationes, sed sic nunc non accipitur, sed casus sunt cognata, & denominatiua, eadem illa inuicem herere apponunt uidentur que sunt differentia. Nam cognata dicuntur inter se, & similiter se habentia ad aliqua, que etiam secundum proportionem erunt, uelut talia, scientia & sensus, nam horum utrumque similiter se habet ad ea que sunt sub ipsis, similiter etiam sensibile & scibile. Nam utrumque ipsorum similiter se habet ad ea, quorum sunt cognata, dicunt etiam omnia denominata ab aliquo inter se, & cum illo esse a quo denominata sunt, ut a iustitia iustus denominatus est, sic etiam iustum, & iuste, que sunt inter se cognata, & cum ipsa iustitia, sed solum denominatiua que ab aliquo denominata cum illo dicunt esse, a quo denominata sunt, sed non inter se, neque illa cum his. Nam

grammaticus, grammatica, sed minime est grammatica cum grammatico. Casus autem hoc proprie sic propter que adan formata, ut illud grammaticum. Nam casus est hoc huius grammatici. Similiter iuste, iustice, prudenter, & uiriliter, nam hęc casus sunt bonorum iustum, uirile, prudens. Est ergo assignatus locus talis: si casus alicuius fuerit quomodoque dicitur multipliciter, & si ipsum multipliciter, & casus, ut in iusto casus hic iuste, si iuste multipliciter, & iustum multipliciter, & contra. Dicitur autem ipsum recte multipliciter, nam quando secundum sententiam suam uiciscans, & illud uideretur ipsi iustum enunciare, dicitur iuste iuste casus, si non uerua iustum fuerit hoc dicitur iuste iudicasse, & ut oportet iudicantem. Item legi fidem adhibens, & si non hoc ueris iustum sic se haberet, & iustum igitur erit de numero eorum, que dicuntur multipliciter, & totidem modis. Nam secundum unum quodque horum iuste, nam secundum suam sententiam, & hoc tanquam oportet iustum esse talem, & statum legis, & patet quod locus conuertetur. Etenim si ipsum iustum multipliciter, & casus ab ipso hic iuste multipliciter dicitur. Rursum sane casus & sane, si ergo sanum multipliciter, & ipsum sane multipliciter dicitur, nam si sanum dicitur, aliud quidem ut effectiuum sanitatis, uel pharmacum: aliud uero ut conseruatiuum, uelut dieta, & aliud ut significatiuum, ut color, pulsus, bona respiratio, igitur erit etiam hoc sane totidem modis, scilicet efficienter, ut curare, conseruatiue, ut in eo quod sane dieta uirur, & significatiue, uelut sane respirare, non tamen amplius est necessarium, si hęc multipliciter dicuntur, etiam sanitatem, habitum, a qua hęc denominata sunt multipliciter dici, & inter se esse, & cum illa cognata. Non enim si hoc sane multipliciter dicitur, iam & sanitas, quare non hoc in casibus iam, & hoc in cognatis, & coordinatis, uerum dicendo, si sanum multipliciter, & casus ab ipso multipliciter dicitur, si sanum multipliciter, similiter inquit se habebit etiam in alijs. Non enim solum in dictis exemplis, si casus multipliciter, ut dixit a principio assignationis loci, sed contra, si ipsum multipliciter, & casus. Hęc igitur erunt sic se habentia, ut iustum, sanum, musicum, uirile, casus autem horum sunt sane, uiriliter, musicice, iuste in utroque, patet igitur, quod si alterum multipliciter demonstraretur etiam ab ipso reliquum totidem dici.

Consideranda autem & genera in his, que sunt secundum nomen predicamentorum, si eadem sunt nominibus. Nam si non eadem, manifestum quoniam æquiuocum est, quod dicitur. Ut bonum in cibis quidem effectiuum est voluptatis, in medicina autem effectiuum sanitatis, in anima uero qualem esse, ut castam, uel fortem, uel iustam, similiter autem & in homine. Aliquoties autem & quando, ut in tempore bonum, bonum enim dicitur in tempore, plerumque autem quantum in mediocri, dicitur enim & mediocre bonum, quare æquiuocum bonum. Similiter autem & candidum, in corpore quidem color, in uoce autem bene audibile. Similiter autem & acutum, non enim similiter idem in omnibus dicitur, nam uox acuta quidem uelox, sicut dicunt, qui secundum numeros harmonici sunt, angulus autem acutus, qui minor est recto, gladius uero, qui est anguli acutus.